

## Ad Antonium Porchietti

---

Nunc exul possum merito solusque vocari,  
cum sim colloquis orbus, amice, tuis.  
Cur mihi amicorum misero fatale sepulcris  
vitae squallentes enumerare dies?  
Primus Tarnassi patriae vix limine tacto  
(ad studia haec illi dulcia facta quies)  
Concidit heu! aetatis in ipso flore, daturus  
ingenii cum esset pignora digna sui.  
Post periit tacito morbo cor Grippa peresus,  
Grippa mihi vita carior interiit!  
Et tamen hoc animum pressum maerore levabat;  
quod mihi tu reliquus, quod, bone, sospes eras.  
Ausculdo dum te festiva et docta loquentem,  
oh! quotiens abüt poena molesta procul.  
Nil in te prorsus quod oleret triste magistrum;  
nec curas placidum noverat os animi.  
Omnibus in promptu semper quae cognita habebas  
(et licet abnueres, cognita quanta tibi!)  
Omnibus in promptu librorum quicquid habebas  
(et libris prorsus tota referta domus!)  
Quo nunc me vertam? quonam utar iudice, si quid  
haud contemnendum proferat ingenium?  
Mortuus es nobis linquens in pectore vulnus  
quod mortis gravius tetrica forma facit!  
Nam dum te manco respectans auxius, ecce  
concurso trepido tota sonare via.  
Accedo et te, vae! prostratum sanguinis ictu  
in nudo foede cerno jacere solo!  
Mens eadem nobis, eadem studia et prope eodem  
Antoni, nostrum est natus uterque die.  
Quid? patria ambobus, Musis gratissima tellus,  
sub pedemontanis alpibus una fuit.  
Cur itaque una dies fato non abstulit uno,  
et non idem nunc condit utrumque lapis?